

16
1.
16
1.
2
3.
4.
5.
16
1.
2.
3.
16
1. G
2. J
3. A
4.



1656.

1. Sturz, Christophorus : De protestationibus.

1658.

1. Grezel, Ernestus : De rescriptis memoratoris

2. Grezel, Ernestus : De mundiciis

3. Heberer, Marcus Antonius : De decreto confirmatorio

4. Ludewig, Wilhelmus : De tempore legitimo

5. Peller, Christophorus : De diffidationibus.

1659.

1. Grezel, Ernestus : De impulsu ab Lipsanis imperii

2. Grezel, Ernestus : De censibus.

3. Linden, David : De bellorum iustitia, quae a iudicio

meretur

1660.

1. Grezel, Ernestus : De lege Regia Romanorum.

2. Falckner, Conradus : De sententiis.

3. Felwinger, Joh. Paul : De legibus.

4. Felwinger, Johannes : De magistratu

1660.

5. Ludolphus, Johes : De poenis delictorum.
6. Holzschuhemus, Vitas Georgius : De jure monetarum
7. Ludwelles, Wilhelmus : Sacerdotio tubecensium sive juris tubecensis
cum civili et canonico collatio.
8. Ludwelles, Wilhelmus : De gradibus et ordine curibus.
9. Packhusch, Christianus : De resernditionis pacto.

1661.

1. Greger, Ernestus : De jurisdictione forestali
2. Felwinger, Johanes Paulus : De monarchia.
3. Felwinger, Joh. Paul : De amnestia.
4. Geizer, Johannes Antonius : De prothomnis curiam.
institutione
5. Ludwelles, Wilhelmus : De servilibus prediorum
tam arborum tam rusticorum.
6. Roeder, Johannes : De cautelis.

aces

11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

1. [Faint handwritten text]

2. [Faint handwritten text]

3. [Faint handwritten text]

4. [Faint handwritten text]

5. [Faint handwritten text]

6. [Faint handwritten text]

7. [Faint handwritten text]

8. [Faint handwritten text]

9. [Faint handwritten text]

10. [Faint handwritten text]

11. [Faint handwritten text]

12. [Faint handwritten text]

13. [Faint handwritten text]

14. [Faint handwritten text]

15. [Faint handwritten text]

16. [Faint handwritten text]

17. [Faint handwritten text]

18. [Faint handwritten text]

19. [Faint handwritten text]

20. [Faint handwritten text]





C. O. Turly - protokollanten



14159.
DISSERTATIO POLITICA

DE
LEGI BUS

19
15
1660 3
QUAM
SACROSANCTA TRINITATE AUXILIANTE

Sub

PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi, Amplissimi, atq;
Excellentissimi*

DN. M. JOH. PAUL. Felwingers /
IN FLORENTISSIMA NORICORUM ACADEMIA POLIT. METAPH. ET LOG. P. P.
CELEBERRIMI.

*Domini Patroni ac Præceptoris sui atatem
colens*

publici exercitii gratiâ defendere
conabitur

ad d. Septembr.

ANNO CHRISTI M DC LX.

CHRISTIANUS HEUCHELIN. Pofon.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

ALTDORFFI

Typis GEORGI HAGEN Universitatis
Typographi.

14

LIBER

IN

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





Σὺν Θεῷ Τεσσαρίω!

DISSERTATIO POLITICA

DE

LEGIBUS.

§. I.



Uod Icti docent ex l. 9. C. de L. L. item l. 12. C. de Jur. & fact. ignorant. nec non l. 1. §. 2. ff. de Aedit. Edicto, scilicet Leges ignorare, nemini permissum esse; Vid. Giphan. in l. 3. Eth. c. 5. p. 200. id nobis quoque dictum esse

credimus. Eapropter pauca quædam de naturâ Legis in genere adducamus, quod duplex item ea sit, & nonnulla alia, quorum cognitio in humanâ vitâ maximam utilitatem adferre potest, sub disputationis incudem revocabimus.

II. Incipiamus autem ab ejus *Etymologia*: sciendum itaque, secundum quosdam legem dici à *legendo*, quod ea publicè legeretur, utpote quæ tabulis æneis incisa, populo ad legendum proponeretur, l. 2. C. de Frument. Urbis Constantinop. lib. XI. Sic olim apud Græcos & Romanos, antequam Lex ulla sanciretur, prius coram populo è scripto solebat legi, & trium nundinarum spatio ad deliberandum concessio, palàm affigi, donec repudiaretur, aut probaretur, Siengel. de Legib. c. 1. §. 1. sive, quod è multis, quæ fieri poterant, quadam consultatione *lecta* sit, sive *delecta*: ita sentiunt Varro.

A

Ferrat.



Ferrar. l. 1. Instit. tit. 2. item Augustin. in lib. quest. Vet. & Nov. Testament. Scholastici verò, & alii, à ligando deducunt, sive obligando, quod per eam homines cogantur & obligentur ad sectandas virtutes, & id quod rectum est, argument. cap. 2. lib. 1. Extravag. Commun. tit. 7. de officio Judic. quâ de causâ etiam Lex, Virtus armata, dicitur à Senecâ.

III. Lex non uno modò accipitur; etenim (1.) sumitur pro *prescripto*, decreto aut sanctione, quâ imperatur vel prohibetur aliquid in vita, ab eò, qui imperandi facultatem habet, sive potestatem. Deinde accipitur *strictè*, pro tali decreto, quò imperantur ea, quæ agere in se justum & honestum; prohibentur verò, quæ agere injustum aut turpe est. (3.) *strictius* pro lege tali positiva, distinctâ à lege naturali & consuetudine. (4.) *strictissimè* quatenus Lex contradistinguitur *Plebiscito, Senatusconsulto, Principum placitis, Magistratum edictis, Prudentum responsis*; quomodo Lex est, quam populus Romanus Senatorio Magistratù interrogante (veluti Consule) constituebat §. 7. *Instit. de Jur. N. G. & C.* (5) Pro omni *Regis, aut alius Magistratus, jussu, edictò* sive sententiâ. (6.) Pro quavis *normâ atq; regulâ*, ad quam aliquid agimus. (7.) Pro *certâ conditione*, ut constat ex illa loquendi formulâ: Inibo contractum, eâ tamen lege. Prima significatio locum hîc habet maximè.

IV. *Synonyma* legis hæc vulgò dicuntur esse: Sancitum, Consultum, Decretum, Judicium, mandatum, præceptum, præscriptum, rescriptum, scitum, plebiscitum, statutum, institutum, constitutum, constitutio, responsum prudentum, canon, regula, norma &c. Dixi autem vulgò pro Synonymis haberi: siquidem inter hæc manifestæ occurrunt differentiæ, quas passim apud Autores legere sunt.

V. Quid Lex propriè sit, & quomodo in genere defini debet, inter Prudentes non convenit: tot enim penè
repe.

reperiuntur Legis definitiones diversa, quot Auctores de Legibus scripserunt. Oppidò multas multorum Auctorum vide adductas in dissertatione B. Meisneri. l. 1. quest 4. pag. mihi. 53. & seqq. item in tractat de Legibus Ludovici Carbonis, lib. 2. disp. 5. pag. 45. Nos missis aliorum definitionibus, solum illam examinabimus, quam Aristoteles adducit, 10. Ethic. c. ult. quando inquit: *Lex est ex quadam prudentiâ & mente profecta Oratio, cogendi vim habens.* Item c. 1. Rhetor. ad Alexandr. *Lex est Oratio quadam, quæ communi civitatis consensu definita, jubet quo pacto unumquodq; agendum sit.* Et c. 2. l. d. *Lex est communis civitatis consensus, qui scriptis præceperit quomodo unumquodque agendum sit.*

VI. Lex dicitur *Oratio*, quo ipso opponitur simplicibus dictionibus, quæ separatim non aliquid ut affirmationes aut negationes significant, prout tamen Leges facere debent. Est autem non quævis *Oratio* Lex, sed *perfecta*, nam imperfectæ *Orationes* Leges esse non possunt. Deinde est *Oratio perfecta, imperativa.* Quoniam verò imperat Magistratus, Dominus, Pater, Maritus, Præceptor, item Princeps, non quævis *Oratio* imperans statim Lex est, nam jussus herilis, præcepta Parentum &c. sunt *Orationes imperativæ*, nec tamen Leges; licet illa præcepta etiam vim cogendi habeant. Deinde, cum dentur quoque Leges *aliquid permittentes*, permissio, cum non sit præceptum, non jussio, non imperium, & tamen Leges, sequitur quod genus Legis, *Oratio perfecta imperativa*, nondum absolvat: nisi addideris, quod sit *Oratio imperativa Majestatica* (sive *Oratio imperativa* ejus qui Majestatem habet) habens vim cogendi.

VII. Vis hæc cogendi nihil est aliud, quam *obligatio*, quæ est *necessitas quedam moralis, hominibus Majestati subditis incumbens ad agendum id, quod Lex præscripta jubet, &*

omitrendum illud, quod illa vetat. Est præterea hæc vis cogendi duplex, vel *Intrinseca*, vel *Extrinseca*: Extrinseca est, quando *pænarum metu* homines coërcentur: Intrinseca, quando *conscientia hominum obligatur sub peccato*, vid. *Gregor. de Valentia in Thomam, tom. 2. disp. 7. q. 2. punct. 2. pag. mihi. 187. Meisner. l. c. pag. 79.*

VIII. Quod autem dicitur, quod sit *ex quadam prudentiâ & mente* profecta Oratio, ambiguitate carere non videtur. Si enim accipiatur ita, quod Lex sit Oratio prudens, sive decretum prudentis Viri, non competet omni Legi, cum multæ Leges imprudenter ferantur, cum primis in Tyrannide. Deinde quot Leges reperiuntur imprudentes? quis enim Legem illam *Ephesiorum, Cic. 5. Tuscul.* ex prudentiâ & mente profectam diceret, quâ constituebatur, *ut nemo in civitate bonus esset: Nemo nostrum frugi esto.* Item illorum *Oligarcharum: Plebi ero inimicus; quodq; malum potero, moliar?* de quo vid. *Aristoteles 5. Polit. c. 9.* Valentia explicat illa verba, quasi indicarent, cujus *facultatis* actus sint Leges, an *Intellectus*, an *Voluntatis*? quâ de re postea: *Tom. 2. in Thom. disp. 7. q. 1. punct. 2. pag. 866.*

IX. Definitio Legis *ex Rhetoricor.* locis desumpta, & illa dupliciter accipi potest. 1. pro Lege in statu Democratico, dum in eâ inuitur ejus causa efficiens, videlicet consensus populi: quomodo Lex in genere describi non potest, cum in regno populi consensus non requiratur. 2. Ita, ut per consensum populi, non intelligamus causam efficientem, atq; sic activè, sed passivè, h. e. quod populo præscribatur Lex, eâ demque is teneatur, sive consentiat expressè, sive tacitè, sive volenter, sive invitè: quomodo aliis Legibus consensus sive obligatio convenit.

X. Nos hanc damus definitionem Legis in genere: *Lex est decretum summa potestatis, actionibus humanis regulam,*

lam, ad certum aliquod ipsas obligantem, præscribens. Diximus definitionem hanc esse *generalem*, competentem omnibus Legibus, tam *divinis*, quam *humanis*, tam *bonis*, quam *malis*, *scriptis* quam *non scriptis*, à quibus omnibus Lex in genere abstrahit: quâ de re sequentibus plura.

XI. Lex dicitur *Decretum*, eo quod eâ aliquid definiatur ac præscribatur agendum aut omittendum. Et per hoc Lex rectè distinguitur à *Consiliis*, *adhortationibus*, aut *dehortationibus*, quibus quidem aliquid monstratur vel faciendum, vel fugiendum; verum iisdem nihil imperatur, quandoquidem consilium non est obligatorium, nisi sit fraudulendum. *l. 2. §. 6. ff. Mandati l. 47. ff. de R. 7.* nam consilium positum est, extra necessitatem parendi, secus ac Lex.

XII. Decretum illud debet esse *summæ Potestatis*. penes hanc enim potestas *Legislatoria* est. Ubi notandum multum differre *de Lege aliquâ ferendâ cogitare*, aut *Leges scribere*; & aliud *Legem ferre*, sive *sancire*. Hoc solum *Majestati* competit, unde etiam omnem suam efficaciam & obligationis vim obtinet: Illud autem etiam *privatis*, hominibus scilicet *prudentibus* convenire potest. *Vid. Cellar. in Polit. l. 2. c. 8. §. 6.* Distinguitur hoc modò Lex à decretis illarum personarum, quæ potestatem quidem & imperium in aliquos habent, alii tamen superiori potestati sunt *subjectæ*. v.g. Dominus suis servis, pater familias uxori, liberis & ancillis, imperare potest, atque sic aliquid decernere, per quod uxor, liberi, servi ad aliquid agendum vel omittendum obligentur, propriè tamen Lex dici nequaquam possunt.

XIII. *Dicitur*: Si propriè illud solum Lex est, quod à *summâ potestate* dependet, sequitur quod *Leges à Civitate aliquâ*, aut *Magistratu propriè dicto* late, *leges propriè nō sint*, quia *Magistratus quâ Magistratus summæ potestati est subjectus*, &

civitates Imperiales Imperatorem, ut superiorem agnoscunt
& ab eò dependent. Id quod insuper inde probari posse vi-
detur, quod scribant: *Decretum in Senatu*, non autem *Sanci-*
tum. Sciendum itaq; est, aliquid à Majestate esse dupliciter. 1.
Immediatè & æquivalens. 2. *Mediatè & Permissivè*, sive per *Com-*
municationem & concessionem. Satis est ad naturam Legis,
si dependeat à summâ potestate mediatè, etiamsi non sem-
per dependeat immediatè.

XIV. Lex porrò præscribere debet *regulam actioni-*
bus humanis: hic enim finis legis est, ut per eam actiones hu-
manæ dirigantur, ut sint tales, & non aliæ. Quoniam verò
etiam consilia, adhortationes & dehortationes aliquid vi-
dentur præscribere, & tamen legis naturam nequaquam ob-
tinent, additur: *ad certum aliquod obligans*: nimirum ut hoc
faciant, & contrarium omittant. Etenim homo non est
agens necessarium, sed liberum, & quidem libertate & *con-*
tradictionis & contrarietatis: quam libertatem cum videat
Princeps, Reipublicæ, aut voluntati ejus non semper con-
formem aut utilem esse, eam per leges, quibus voluntatem
suam subditis solet aperire Princeps, restringere conatur &
determinare.

XV. Ut autem Lex vim & obligationem suam obti-
neat, necesse est, ut Lex illa etiam iis, quos obligare debet,
promulgetur. Sicuti enim ille, qui secum aliquid concipit, con-
stituit & decernit, alios non informat aut juvat, nisi suos con-
ceptus aliis signo aliquo extrinseco manifestet, cum non sint
homines *καρδιογνώσται*, ita quoque Magistratus sive Prin-
ceps, licet aliquid secum decernat, constituat, ac sanciat, il-
lud quidem constituit, quod Lex, fieri potest & debet, ul-
timò tamen Lex propriè & perfectè sine promulgatione
non est unde *l. 9. C. de Leg. rectè* dicitur, *Leges sacratissi-*
mas, quæ hominum vitas constringunt, omnes homines in-
telligere

intelligere debere. Docet quidem Bachov. ad Wesemb. pag. mihi. 24. formam Legis propriè dictam, eamque essentialem esse, Jussionem & sanctionem superioris, Promulgationem verò solum conditionē sine quā Lex non obligat, aut ejus accidens. Vid. Conring. disp. de LL. thes. 31. quod etiā videtur probari posse, per l. 1. ff. de Constit. Princip. quod Principi placuit, Legis habet vigorem §. 6. Instit. de J. N. G. & C.

XVI. Hoc ut rectè intelligatur, sciendum, in Legislatore tres præcedere actus, constitutionem Legis. 1. Consultatio sive Consilium. 2. Judicium sive Electio & 3. imperium, per quod Lex recipit vim, ut applicetur & obliget. Sed non obligat, nisi applicatio per promulgationem intercedat. Hi tamen tres actus non obligant, nisi promulgatio intervenerit: adeoque rectè dicimus, legem suam perfectionem non obtinere, sine promulgatione, quamvis sanctio Principis, de Legis essentiā dicatur: puto tamen id non esse accipiendum exclusivè, sed inclusivè. Probamus autem, Promulgationem esse de essentiā Legis, ut obliget (nam Lex non obligans, Lex non est) Can. 3. in istis. Distinct. 4. Leges instituuntur, cum promulgantur. c. 1. extr. de Postulat. Prelator. Sic Novell. 66. c. 1. expressè dicitur, Constitutiones valere ex quo in commune factæ sunt manifestæ, & post insinuationem. Addatur Novell. 74. in Epilogo. Molina tom. 5. tract. 5. disp. 70. de Just. & Jur. Gudelin. de Jur. Noviss. l. 5. c. 2. pag. mihi 227. Meisner. in tr. de Legib. pag. 294. Carbo de Legib. lib. 3. disp. 7. Hahn in Not. ad Wesemb. pag. mihi. 74. Dicimus itaque Leges ante promulgationem esse quidem ordinationes rationis, non tamen propriè Leges: cum primis, si Leges accipiantur non physicè, sed moraliter, quatenus sunt medium dirigens actiones: utpote quæ media sive instrumenta, omnia opere definiuntur & facultate, teste Philosopho.

losopho 1. Polit. c. 2. Vid. Molina de Just. & Jur. tom. 5. tract. 5. disp. 70. n. 1. pag. mihi. 180.

XVII. Ut autem Lex hæc vim omnes obligandi per promulgationem obtineat, debet illa promulgatio esse *solemnis & sufficiens*. Solemnis, si publicè publicâ autoritate fiat, & cum illis solennitatibus, quæ ex communi usu adhiberi solent, pro locorum consuetudine; ut si per publicum præconem certis in locis edicatur aut affigatur. Sufficiens verò, cum moraliter loquendo, ad omnium notitiam pervenire potuerit, ita ut possit præsumi contra ignorantes.

XVIII. Lege ita in genere consideratâ, ejus quoque objectum considerandum esset: item Legis Virtutes & alia nonnulla requisita. Verum quoniam hæc omnia rectius tractari poterunt, post Legis divisionem, hanc illis præmittamus, propterea quia illa ex varietate Legum, etiam aliquam varietatem admittunt.

XIX. In divisione autem Legis itidem Autores non conveniunt. Nos missis aliorum divisionibus: sequentem amplectimur, quâ. 1. dividitur in *Divinam & humanam*. 2. Divinam subdividimus in *naturalem & in divinam specialiter dictam seu positivam*. 3. Humanam verò subdividimus, in *Gentium & Civilem*.

XX. Prima divisio desumpta est à causa efficiente, nimirum Legem illam esse divinam, quæ habet Legislatorem DEUM ipsum, quales sunt, quas DEUS Moysi dedit, in monte Sinai, *Exod. 19. & 20.* Humana, quæ ab homine ejusque principiis dependet. Si itaque Lex divina illa est, quæ à DEO data est, Lex naturalis, Lex divina erit: Etenim *Apostolo teste, Rom. 2.* Gentes, quæ Legem non habent, puta per Moysen promulgatam, naturâ opera legis faciunt, quo ipso ostendunt, legem cordibus eorum inscriptam esse. Et est nihil aliud juxtâ *Valentiam Tom. 2.*

disp. 7.

disp. 7. q. 4. punct. 1. pag. mihi. 884. quàm naturale rationis nostræ
judicium seu dictamen, quo per lumen nobis ab æternâ lege im-
pressum & inditum, evidenter cognoscimus, ea esse facienda, quæ
ita sunt recta, & naturæ nostræ consentanea, ut ea negligere sit
deforme, & naturæ repugnans, & contra, ea esse vitanda, quæ
facere turpe sit, & naturæ rationali minimè congruum. A quò
non abit Hugo Grotius l. 1. de Jur. Bell. & Pac. c. 1. n. 10. pag.
mihi. 4. Jus naturale est dictatum rectæ rationis, indicans
actui alicui ex ejus convenientiâ aut disconvenientiâ cum
ipsâ naturâ rationali, inesse moralem turpitudinem, aut ne-
cessitatem moralem, ac consequenter ab auctore naturæ
DEO, talem actum aut vetari, aut præcepti. Actus de quibus
tale extat dictatum, debiti sunt, aut illiciti per se, atque ideò
à DEO necessariò præcepti aut vetiti intelliguntur. Hæc
Grotius.

XXI, Aristoteles verò Legem naturalem l. 5. Eth.
c. 10. (alias. 7.) definit, quod sit ea, quæ ubique eandem vim
habet, & non quia ita videtur, aut non videtur. Sed hæc
definitio à posteriori est; Valentii verò à priori, indeq; Ari-
stotelica melior.

XXII. Quoniam verò obligatio de essentia omnis
Legis est, etiam Lex naturæ obligabit propriè *creaturam ra-
tionalem*: quæ obligatio contingit, si Lex proponatur & pro-
mulgetur: quæ promulgatio accidit, quando homines divi-
nitus naturam intelligentem accipiunt, per quam cogno-
scere & dijudicare possunt, quæ sint honesta & humanæ digni-
tati consentanea, quæ item turpia & indecora. Nempe
DEUS ex præscripto æternæ suæ Legis congenitum ali-
quod lumen, & naturale rationis dictamen nobis indidit &
insevit, è quo cognitio & judicium oritur. Et hoc ipsum est
Lex naturalis, radius videlicet & participatio & quasi im-
pressio quædam æternæ Legis.

B

XXIII. Et

XXIII. Et quoniam hoc lumen & dictamen rationis quoad universalia ejus pronunciata (*vid. Valentia l. c. pag. 884.*) omnibus hominibus commune est, etiam omnes omnino homines eâ lege constringentur, ut nulli, cujuscunque conditionis sit, concessum sit, contra Legem agere. Quod tamen ita intelligendum est, non quasi omnis homo, ab illo momento, quô nascitur, statim obligetur hoc jure, actu: Siquidem hæc Lex non conascitur actu, sicuti nec ulla ullius rei cognitio, sed potentiâ; non quidem remotâ, quæ multo labore & longo tempore indigeat, ut in actum deducatur, sed proxima, quæ videlicet, quamprimum se ratio vindicare & exerere incipit, in actum prodit. *Vid. nostra disp. Metaph. Xl. in l. 1. Metaph. c. 7. q. 2. pag. 268. item Clariss. Dn. Joh. Zeisold. in tr. de Notitiis Naturalib.*

XXIV. Propriè igitur & accuratè loquendo, tunc incipit Lex naturalis hominibus efficaciter proponi & promulgari, cum incipiunt ratione uti, & inter bonum ac inter malum discernere. Et quemadmodum tunc effectum suum fortiri incipit, quod directionem attinet, ita quoque quod obligationem: ex eò enim incipiunt obligari, ut si contra illam Legem agant, peccent. *Vid. Beat. Calixt. in Theolog. Morali, pag. mihi. 46. 47.* JCTi aliter describunt tempus, quo quis incipiat obligari Lege naturæ, scilicet quo quis esse incipit doli capax. Unde etiam impuberes obligantur ab illâ ætate ad observationem juris Naturalis.

XXV. Diximus Legem naturalem, quoad universalia ejus pronunciata, omnibus hominibus esse communem, quod non ita accipiendum est, quasi Lex illa apud omnes homines in perpetuò fuisset vigore & observantiâ: quandoquidem apud aliquos propter pravam consuetudinè & cæcitatem, Lex naturæ ita possit esse obruta, ut quoad aliquas conclusiones non sit nota: ita ut videatur Lex illa
naturæ

naturæ penitus illis non communis fuisse, dum integræ & multæ gentes, etiam moratæ, Legi naturali contrariam Legem posuerint, & juxta illam vixerint. Exempla bene multa *vid. ap. beat. Calixt. l.c.*

XXVI. Ex hac causa, DEUS non fuit contentus, Legem naturæ cordi hominum inscripsisse: sed eandem denuò peculiari promulgatione patefecit, & ante mortalium oculos posuit, animisque inculcavit, & quidem eò tempore, quo Lex naturæ apud multos paulatim obscurari cœpit. Illa itaque Lex, quam DEUS denuò & peculiari ratione promulgavit, est *Lex Moralis*, quæ etiam est *Divina & Naturalis*. Siquidem Decalogus illas actiones continet, quæ ex se & ratione objecti, sive juxta tenorem æternæ Legis in Lege naturali relucentis & expressæ, humanam & rationalem naturam deceant, quæ dedeçant: si modò excipias ceremoniam quæ tertio præcepto, *Sabbatho*, positivè annexa est. Cum igitur ex se & ratione sui decet vel dedecet, sive honestè sive inhonestè sunt actiones, ideò vel mandatæ sunt, vel prohibitæ: Non autem contra, quia mandatæ sunt, ideò bonæ, quia prohibitæ, ideò malæ: hoc enim non in iis, quæ sunt Legis naturæ, sed in aliis, quæ sunt juris positivi, obtinet. Non itaque videtur Lex moralis alia Lex, & quidem materialiter, à Lege Naturæ, licet quoad rationem promulgationis ab hâc differre appareat.

XXVII. Et ideò, quia Lex Moralis est Naturalis, ideò in illâ *nulla dispensatio* locum habet, etiam ex parte DEI: utpote quæ non admittitur æque in jure naturali: id quod ita verum est, si maneant idem objectum & eadem circumstantiæ. Atque ita fieri & concedi non potest, ut illa Lex ab homine aliter citra crimen tractetur, quia à justitia & æternâ suâ Lege, adeoque à semetipso DEUS deficere non potest. Quod si verò objectum & circum-

stantiæ mutantur, actio, quæ ante videbatur contra Legem naturæ, amplius contra eam non est v.g. furtum nec à DEO ulli citra peccatum permitti potest: & tamen cum Israelitæ, DEO jubente, *Exod. XI.* Ægyptiis vasa argentea surripuere, nullatenus furtum committebant, cum illa vasa redita fuerint propria merces laborum exantlatorum in extruendis Urbibus Ægyptiacis. *Vid. beatus Hornejus in Doctr. Civil. l. 4. c. 3. n. 39. pag. mihi. 609.* In morali quidem Lege, gratia quædam alicui fieri potest, circa observationis modum, quando scilicet DEUS nobiscum condescendit, & observationem nostram Legis imperfectam pro perfectâ ex fide nobis imputat.

XXVIII. In Decalogo, qui Lex naturæ est, cum contineantur præcepta sive Leges tam affirmativæ, quam negativæ, hic semel pro semper notandum, quod illorum præceptorum diversa sit Obligatio; & quidem *præcepta affirmativa obligare omnes*, quibus data sunt, *semper, non tamen ad semper*: *Præcepta verò negativa semper & ad semper.* Semper obligare juxta Scholasticos est, non omni tempore obligare, sed solum illo, quo datur occasio & commoditas, & quoties datur. v. g. Lex naturæ jubet, erga egenos exercere liberalitatem & misericordiam: item parentes honorare: non tamen hoc jubet, aut ad id obligat, ut singulis momentis succurras, & parentes honores, sed quando egeni occurrunt, & occasio sese præbeat benefaciendi & honorandi: non quasi tempore intermedio actus contrarius esset concessus, licet, ubi egeni non sunt, actus intermitteri possit. *Ad semper verò obligare*, est quovis tempore obligare, sive detur occasio agendi, sive non: v. g. quâdo Lex prohibet furtum, obligat te ut totâ vitâ & omni tempore à contrectatione rei alienæ animò lucrandi abstineas. Et hoc obtinet non solum in Lege naturali, sed etiam humanâ, imò in universum Omni. *Vid.*

Vid. Thomas. 1. 2. q. 71. art. 5. ad 3. q. 88. a. 1. ad 2. q. 100. a. 10. in corp. ad 2. Busenbaum in Medulla Theologiae Moralis, pag. mihi. 12. Becanus in 1. 2. t. 3. c. 1. q. 3. Hornei in Doctr. Civil. pag. 613.

XXIX. Porro sciendum est, Legem naturalem comprehendere & suppeditare, non solum prima universalissima principia practica, quorum veritas & necessitas absque prolixo discursu patet; quorum omnium primum est, *bonum est faciendum, malum fugiendum*: Similiter ad hæc principia practica refertur, honestè esse vivendum, DEUM esse colendum, Parentes honorandos, neminem ledendum, suum cuique tribuendum, alteri faciendum, quæ nobis fieri velimus; & contra, alteri non faciendum, quæ nobis fieri nolimus. &c. Sed etiam conclusiones, quæ deducuntur ex illis universalissimis principiis: v. g. non esse occidendum, neminem esse fraudandum, non est dicendum falsum testimonium: &c. quales conclusiones etiam Decalogus continet.

XXX. Conclusiones verò hæc dupliciter se habent, quædam enim promptè & facile fluunt ex principiis, evidentè & necessariò: quædam verò à principiis remotiores sunt & difficilius colliguntur, nec nisi à doctis eliciuntur. Conclusiones, quibus Decalogus constat, sunt necessariae & certæ. Inter remotiores vero referri hæc poterit, Pecuniam mutuò acceptam, eadem quantitate & qualitate reddendam esse: nam hæc licet ex principiis primis fluat, quomodo tamè fluat, non ab omnibus statim cognoscitur. *Vid. beat. Horneus in Doctr. Civil. l. 4. c. 3. pag. 595.*

XXXI. Quod si verò à primis principiis, ad particularia descenditur, ita ut consequentiæ necessitas vel evidentia non appareat, & tamen, quæ constituta sunt, ab habente potestatem constituendi bono publico constituta fuerint, erit *Lex Positiva*, ita dicta, quod à principiis universalibus

non deducatur, sed ita, uti sese habet, arbitrio statuentis ponatur. *Vid. Meisner. in Dissert. de Legib. l. 3. q. 8. pag. mihi. 201. 202. & seqq.* & naturali semper aliquid addit, ac aliquando eam, si relata ad specialem actionis conditionem sive modum indeterminata sit, determinat, v. g. Legis naturæ est, adulteria, furta & alia peccata puniri, at quo genere poenæ puniri debeant, Lex naturæ non determinat, sed Lex positiva.

XXXII. Hæc Lex positiva duplex est, vel *Divina*, vel *humana*. Lex positiva Divina. v. g. illa est, quâ DEUS genus humanum ad felicitatem æternam vult deducere, & vocari potest *Lex supernaturalis*, quam homo cognoscere viribus naturalibus non potest, sed peculiari opus habet revelatione & gratiâ: Talis Lex positiva in statu innocentiae est: at, quâ jubebatur abstinere ab arbore scientiæ boni & mali, & post lapsum *fides* est, per quam consequimur vitam æternam: de quâ uberius videantur Theologi, cum primis *beat. Calixtus in Theol. Morali pag. 65. & seqq.* Quod autem hæc Lex rectè dicatur positiva, patet inde, quia naturali superaddita est; quæcunque enim Lex naturali superadditur, positiva, ex communi Dd. sententia rectè dicitur.

XXXIII. Hæc Lex positiva Divina supernaturalis, ex fine supernaturali rectè talis dicta, supponit naturalem; etenim cum naturalis Lex omnes omnino homines semper obligaret, & tamen nullò in statu ullus homo sibi relictus eam vitam æternam consequi poterat; sanè cum homo ad finem supernaturalem erat conditus, etiam Lege & viribus supernaturalibus indigebat: quod intelligi potest *ex Rom. 7. 14. Scimus Legem Spiritualem esse. beat. Calixt. l. c.* Atque hæc de Lege Naturali, Divina, positiva.

XXXIV. Est præterea adhuc alia Lex positiva Divina ratione causæ efficientis, quæ vocatur *Ecclesiastica* sive *Ceremoniam*

remonialis & Judicialis sive *Forensis*, quæ ab ipso DEO populo Israelitico sunt præscriptæ: nos autem hodiè necesse non obligant, sicuti moralis, quæ perpetua est, quod aliquo modo inde quasi colligi potest, quod DEUS Legem Moralem ob perpetuitatem suam peculiariter tabulis lapideis digito suo inscripserit: non ita Ceremoniales & Forenses; uti alludunt nonnulli Theologorum.

XXXV. Haftenus de Lege Divina. Agendum jam est de *Lege humanâ*, ita dicta à causâ efficiente, quod autorem habeat voluntatem hominis, sicuti Divina, quæ DEUM autorem habebat: Et dispeſcuimus eam *suprà §. 19. in Jus sive Legem Gentium & in Jus Civile.*

XXXVI. Quid sit Jus Gentium, inter Autores non convenit. *Justinianus §. 1. Instit. de Jur. Nat. G. & C. ait:* Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peræque custoditur, vocaturque Jus Gentium, quasi quo jure omnes Gentes utuntur. *l. 1. §. 4. ff. de Just. & Jur.* dicitur esse illud jus, quo gentes humanæ utuntur & *l. 2. eod.* ad id revocatur, Religio erga DEUM, ut parentibus & patriæ pereamus. *l. 3. eod.* ut vim & injuriam propulsemus: nam hoc jure evenit, ut quod qui sive ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. Verum quod hæc non sint juris gentium, sed juris naturæ, expeditum est: *Respondendum* tamen est: Jus gentium hic in latâ significatione accipi, quatenus illud dicitur Jus Gentium, quo omnes Gentes utuntur, quâ in significatione comprehenditur quoquo jus naturæ, utpote quo etiam omnes Gentes, quia eo omnes homines, quales etiam Gentes sunt, utuntur, quæ significatio rectè videtur probari posse, *ex §. 1. Instit. de Rer. Divis.* ubi quod vocatur *in fin. Jus Gentium*, dicitur *Jus naturale, in principio: item §. 41. Instit. eod.* Et in hoc sensu nonnulli Jus Gentium vocant *Primum*. *Vid. beatum Dn. Unge.*

Ungepaar in tr. de Jure Naturali c. 3. Item Conring. in disp.
Polit. de Legib. n. 24.

XXXVII Nobis jus Gentium illud esto cum Justi-
niano §. 2. Instit. de J. N. G. & C. quatenus à jure Naturali di-
stinguitur, Quod gentes humanæ, usu exigente & humanis
necessitatibus sibi constituerunt. Et explicat illud egregiè
Wesenbecius in *Ἠθικῶν*. §. 16. quando inquit: *Jus Gentium*
illud nobis esto, quod non ex notitia simplici nobiscum nascitur,
sed compositâ, h. e. ex ratiocinatione commodorum vitæ & socie-
tatis à sapientibus multò rerum usu, variâq; doctrinâ investiga-
tum, excultum & introductum, in omnium Gentium (non qui-
dem Mathematicè sumtarum, sed moraliter) usum pervasit.
& propter evidentem utilitatem ab omnibus peraq; custoditur.
Et puto illis verbis, usu exigente, indicari differentiam ali-
quam Juris Naturalis & Gentium, quod illud sit ex merâ &
absolutâ ratione, nullo utilitatis respectu, nulla commercio-
rum ratione habitâ, à solâ providentiâ DEI constitutum:
hoc verò est quidem ex ratione, sed usibus & necessitatibus
humanis mixtâ, introductum. Vid. Hahn in not. ad Wesenb.
part. 1. pag. mihi. 46. 47. 48.

XXXVIII. Antequam autem ad Legis Civilis tra-
ctationem accedamus, unicam hanc annectemus de Lege
Gentium *questionem, quomodo scilicet Gentium Lex, lex dici*
queat? Nam Legis natura in eò consistit, ut dependeat à vo-
luntate jubentis, sive Majestate. Gentium Lex non à Ma-
jestate dependet, sed à populorum *consensu*, atque sic ab *ac-*
ceptatione, quæ tamen acceptatio de Legis requisito nullatenus
est: quandoquidem Lex etiam invitis datur. Vid.
Carbo. tract. de Legib. l. 3. disp. 10. pag. 114. 115. item libr. 5. disp. 10
pag. 202. & seqq. Gregor. de Valentia. l. c. pag. 944. Arriaga l. c.
pag. 202. Deinde: aut omnia omnium pacta, quibus se privati
sibi invicem obligant, Leges dicenda sunt, aut Gentium Lex,
Lex

Lex dicenda non est: ratio enim differentiae reddi non potest. Sed pacta illa Leges non dicuntur. Ergo neque Gentium jus recte Lex dicetur. *R.* Legem à Majestate, & à voluntate illius, qui Majestatem habet, dependere non negamus: Verum Jus Gentium à Majestate & illius voluntate non pendere, est quod negamus: non obstante, quod populorum consensu indigeat. Siquidem Lex pro diversa Rerumpublicarum forma, quoad hoc etiam diversimodè se habet: in regno absoluto, absolutè à voluntate & jussu Principis pendet, nullo prærequisito subditorum consensu: pariter in Aristocratia, ubi à mandato Optimatum dependet. Verùm in Politia aliter se habet: in eà enim cum Majestas sit penes omnes, & Lex à voluntate ejus, qui Majestatem habet, est, à voluntate omnium hoc modo Lex dependebit; alias si Legem non vellent, non ferrent. *Dicis*: at ita Lex non fertur etiam invitis. *R.* *Volentibus datur collectim sumtis*: licet uni aut alteri distributivè sumto non placeat: cum in Politia Majora obtineant. Non itaque necesse est, ut recurramus ad usum loquendi, qui dicendi Magister est: quamvis me non lateat id, quod *Aristot. docet 1. Topic. c. 10. §. 7. & 2. Topic. c. 2. & §. 5.* res illis nominibus appellandas esse, quibus multi utuntur: sive loquendum cum vulgo, sentiendum cum paucis, sive sapientibus.

XXXIX. Hinc nondum rectè infertur, Acceptationem requiri ad naturam Legis. *Pet accidens* enim hic est, quod ab omnibus acceptetur, sive voluntas eorum, qui obligantur, adveniat, cum considerentur hic non, ut subditi, sed ut habentes Majestatem. Nam Gentes, consideratæ quatenus unam mundi constituunt Rempublicam, habent se ut partes illius Reipublicæ communis, sive Politia: unde etiam, si quædam Gentes contra tale jus Gentium de facto peccent,

C

à cæte-



à cæteris tanquam unius Reip. partibus coërceri & puniri possunt, bello scilicet, vel aliter.

XL. Quod verò attinet, Jus Gentium hoc modo *Pa-ctum* esse, nobis non obstat: quandoquidem ipse Aristoteles, Legem pactum vocat quoddam. 1. *Pol. c. 4.* (aliàs 6.) *it. s. Ethic. c. 5.* (aliàs 7.) *συνθήκην*, i.e. pactum. Sponsio, vertitur *l. 2. ff. de LL.* Siquidem pactum in latâ significatione est duorum vel plurium in idem placitum consensus; licet strictè, sit conventio & nomine & causâ vacans. Hinc tamen non sequitur; Ergò omnia pacta privatorum Leges esse: quia jus Gentium cum Majestate est: quâ privati carent. *Vid. Hahn in not. ad Wesenb. part. 2. pag. 64. Grot. de Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. XI. n. 1.*

XLI. Nota tamen, unam solùm, aut alteram Gentem non habere illam Majestatem, ut possit jus Gentium constituere, sed vel omnes, vel plurimas & maximam partem. Nemo enim dixerit illud Juris Gentium esse, quod inter Hispanos & Batavos peculiariter constitutũ est, ut bello captus, à suò captore se unius mensis stipendio suo redimere possit. Hoc enim potius pactum peculiare dici debebit, quam Jus Gentium, quia hoc omnes obligat gentes: illud solũ paciscentes partes. Si enim à Cæsareanis, aut Turcis quis capiatur, non obligat illud pactum Hispanorum & Batavorum eos, ut captum, tali stipendio unius mensis dimittant, & libertati restituant.

XLII. Hactenus primum membrum Legis humanæ, scilicet Jus Gentium pertractavimus. Sequitur alterum, quod §. 19. diximus, *Jus Civile*, sive *Legem Civilem esse*. Ubi statim in initio notandum, nos non cum JCTis Jus civile accipere *καθ' ἐξοχήν*, pro jure Romano, prout accipitur. §. 2. *Inst. de Jur. N. G. & C.* quando dicitur: Sed quoties non addimus nomen, cujus sit Civitatis, nostrum jus significamus: sed potius in illa significatione, quatenus Juri Gentium
contra

contradistinguitur, & vocari potest *Jus proprium*, quod scilicet quilibet populus ipse sibi constituit. Ex quo apparet, neque hic à nobis Legem Civilem rectè in illà significatione definiri cum Justiniano, esse eam, quam Populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) constituit. Hæc enim definitio suo definito esset angustior, habito nimirum respectu ad Legem à Principe in regno latam, quæ etiam Lex Civilis est, nec tamen Consule rogante constituta. Proinde non contradistinguimus Plebiscitis, Senatusconsultis, Prætorum edictis, JCTorum responsis: hæc enim omnia specialia sunt, non generalia.

XLIII. Nos Legem Civilem illam dicimus, quatenus scilicet Naturali & Gentium opponitur, *quam populus unusquisq; aut qui ejus vicem sustinet, singulis suæ Reipublicæ civibus aut subditis præscribit.* Alii ex Aristotelis s. *Ethic. c. 10.* Legem Civilem seu propriam (quia opponitur Gentium & Naturæ, quæ sunt jura communia) dicunt eam, quæ tale quid præcipit, quod ab initiõ, utrum hoc an illo modõ fiat, nihil refert: ubi verõ constitutum est, refert. Talis Lex est illa *Hebanorum*, quâ cautum fuit, ne quis ad Magistratus honores admitteretur, nisi decenniõ mercaturâ abstinuisset, teste Aristotele 3. *Polit. c. 5.*

XLIV. Hæc Lex Civilis duplex est: vel enim est *scripta*, vel *non scripta*: quæ divisio desumitur ex modõ ferendi: & scripta est, quæ literis tradita, aut æri incisa, aut modõ aliõ legẽda proponitur: Sive quæ sanctione expressâ uno tempore & fertur, & valet. Non scripta, quæ tali aliquo modõ promulgata non est, *vid. Cellar. l. 2. Polit. c. 8. §. 19.* Hæc divisio dupliciter accipi potest. 1. ut per eam non diversæ innuantur Leges quoad substantiam, sed eadem, diversæ solum secundum accidens, ut nimirum Lex illa, quæ principiõ vivâ voce fuit per præconem promulgata, post tractu temi-



poris in scripturam redacta, melioris memoriae ergò: quomodo etiam ipsum *verbum DEI* dividitur in *scriptum & non scriptum*: non quasi verbum non scriptum, aliud esset à scripto, prout Pontificii suas venditant traditiones, quas pari pietatis affectu recipiendas esse docent, cum ipso DEI verbo: sed quod illud ipsum verbum, quod ab ipso Christo & Apostolis in principiò ore & vivâ voce prædicatum, subsequenti tempore in scripturam redactum sit. 2. Potest accipi, ut denotat diversas Leges, aliquando etiam contrarias: quando videlicet Lex non scripta, accipitur pro consuetudine, quæ inveterata pro Lege custoditur, *l. 32. ff. de L.L. item l. 33. ff. eod.* Unde etiam dicitur, quod possit veterem Legem tollere. Et hoc modo Lex non scripta illa est, quæ tacito Majestatis consensu, non uno temporis puncto, sed longò usu introducta est.

XLV. Hinc apparet, illorum opinionem subsistere non posse, qui statuunt, *Scripturam esse de essentiâ Legis. Vid. Hunnius in resolution. ad Instit. pag. 63.* Nam Lacedæmonii non caruerunt Legibus, quæ tamen nunquam in Scripturam fuerunt redactæ, sicut Atheniensium, uti constat ex *§. 10. Instit. de Jur. N. G. & C.* ac disertè apud Lacedæmonios Lege cautum fuit, ne Leges scriberentur, ut melius animo servarentur, teste *Plutarcho in Lycurg.* Quid, quod Lex Naturæ, nunquam in scripturam sit redacta & tamen Lex est: quomodo itaque Scriptura de essentiâ Legis erit. Imò ipse Aristoteles testatur *sect. 19. Problem. 28.* Homines priusquam literas scirent, cantasse Leges, ne eas oblivioni traderent, & ideò pleræq; dictæ sunt cantilenæ. Hinc concludimus cum *Aristotele l. 10. Ethic. c. 11.* *Nihil (puta essentialiter) interesse, scriptæ ne sint, an non scriptæ Leges.* Nisi forsan, scribi accipias in illâ significatione, quâ dicitur Lex scribi, quocunque modò, & à quocunque illa tandem jubeatur ac
sancia-

sanciat, quæ acceptio latissima est, ita ut hoc modo etiam dicamus Legem naturalem scriptam esse in cordibus hominum: item: quod hoc modo omnis Lex debeat præscribi. *Vid. Conring in disp. de Legib. §. 27. Arumæus in Exercit. 1. Instit. n. 16. pag. mihi. 719. Dn. D. Ludwell. in commentariò ad Instit. pag. 12. Reifenberger in ratione legendi Instit. pag. mihi 97. 98. Andreas Gerhardus ad Instit. Exercit. 1. q. 6. Strise in dr. Pol. l. 1. c. 17. pag. 168.*

XLVI. *Dicis*: si hoc verum, nulla videtur apparere differentia inter Legem propriè dictam & consuetudinem, utpote quæ Jus sive Lex non scripta est. Aut ad minimum sequeretur quod consuetudo, quæ Lex altera dicitur, si in scripturam redigatur, propriè Lex fiat, quod tamen non conceditur. *Hunnius l. c. pag. 69. R.* quod hoc modo nulla daretur inter Legem & consuetudinem differentia negandum est: siquidem ad consuetudinem requiritur *usus*, sive actuum frequentia *l. 1. C. qua sit long. consuet. l. 3. C. de Ædif. privat.* quæ autem dicantur frequenter fieri, dicitur *l. 5. & 6. ff. de LL. l. 15. §. 22. ff. de Injur.* quorum actuum frequentia, ut consuetudinem introducant, arbitrio judicis relinquenda. *Dn. D. Ludwell. in Comment. l. c. II. Temporis diuturnitas*, quod tempus itidem judicis arbitrio relinquendum. 3. *Tacitus populi consensus*, qui ex rebus ipsis, sive factis colligitur. *l. 32. §. 1. ff. de LL.* Sed hæc ad Legem necessaria non sunt. *Vid. §. 44. in fin.*

XLVII. Quod verò attinet, si consuetudo in scripturam aliquam redigatur, quod illa indueret naturam Legis: distinctè respondendum est: Consuetudo dicitur jus non scriptum, non quod nunquam in scripturam redigi possit, sed ratione originis & initii, respectu cujus consuetudo est inhabilis per scripturam introduci. At ex postfacto in scripturam redigi, vel memoriæ & melioris probationis gratia

C 3 potest,

potest, salvâ natura consuetudinis? Si verò authoritate publicâ & eò fine in scripturam redigatur, ut fiat Lex, cessat esse consuetudo. Quando verò non hoc fine in scripturam redigitur, sed solum, ut dictum, memoriæ & facilioris probationis ergò, manet consuetudo & jus non scriptum, non obstante, quod scriptum ex accidente sit. Ex quò apparet, *Gratian. can. 5. distinct. 1.* malè dividere Consuetudinem (ratione originis) in Scriptam & non scriptam. *Vid. Dn. D. Ludwell. l. c. Conrad. Ritterschus. in Instit. pag. mihi. 29.*

XLIIIX. Hoc modò rectè adhuc hodiè *jus feudale*, Consuetudinariū appellatur, licet istud memoriæ causâ in scripturam redactum sit. *Vid. Excellentiss. Dn. D. Ludwell. in Synopsi Feudali, pag. 12.* Hinc *Arumans exercit. 1. ad Instit. n. 20. pag. mihi. 466.* negat, quod expresso consensu Friderici II. & eâ intentione in scripturam relatæ sint consuetudines Feudales, quod naturam primævam amittere, & juris scripti nomen assumere debeant: & ut brevibus concludam: Approbatæ sunt, non ut Leges, sed ut consuetudines?

XLIX. Missam faciamus consuetudinem & jus non scriptum, si prius cōsideraverimus, quomodo, & an consuetudo Legem veterem abrogare, aut immutare possit? Interpretari consuetudinem posse Legem, puto extra dubium esse, *vil. 37. ff. de LL.* ubi dicitur, *optima est Legum interpret, consuetudo.* Verum quomodo Legem immutet, aut penitus veterem abroget, Autores non conveniunt: Cum enim consuetudo plerumque ab illicitis actibus incipiat, atque ita ex multis malis aliquid conflatum habeat, deinde privatis civium actibus invalescat, quis salvâ veritate consuetudini tantum tribuet, ut sanam Legem tollere queat. Ne autem nimium nostra disputatio accipiat incrementum,
maximè

maximè quod Jcti hanc questionem ex proposito tractent, benevolum lectorem ad eos remissum cupimus, cum primis vid. Dn. D. Ungepaur, Exercit. 2. q. 8. Fibigius, exercit. 1. Collegij Legalis, q. 9. Andreas Gerhard Exercit. 1. q. 9. Conring diss. de Legib. §. 2. Hunnius in resolut. l. 1. tr. 1. q. 27. Carbo in tract. de Legib. l. 9. diss. 3. De Consuetudine plura videantur apud Laymannum in Theolog. Morali l. 1. tract. 4. c. 24. pag. mibi. 192. Ortholphum Foman. diss. 1. th. 36.

L. Hujus consuetudinis sive juris non scripti datur adhuc alia species, *Ἰμερία*, seu *Æquitas* dicta, pertinens ad juris scripti interpretationem, ampliationem & supplementum, Wesenbec. in *Ἐπιτομή*. ff. de Just. & Jur. n. ult. quæ à quibusdam in scriptam & non scriptam, sed perperam dispescitur. Vid. Fibig. Exercit. 1. Colleg. legal. semidecad. q. 3. Hunnius l. c. q. 15. Giphanius in 5. Ethic. c. 10. Arumaus Exercit. 1. n. 8. pag. 716.

LI. Redeamus jam ad Legem Civilem scriptam, ac ulterius eam dividamus, in *Fundamentalem* & *non fundamentalem*. Lex fundamentalis, quæ fertur de ineundâ seu constituendâ Republicâ, vel ejus constitutæ administratione & regimine, ut societas civilis sarta tecta sit, & salva. Vocantur aliàs *jura regni*. Vid. Hænon. diss. Pol. 1. n. 23. Tales Leges fundamentales sunt in nostrâ Romanogermanicâ Republicâ, *Aurea Bulla*, *Recessus Imperii*, *Transactio Passaviensis*, *Instrumentum pacis*, *Capitulationes Imperatoria* &c. Vid. Carpzovium ad L. Reg. cap. 1. §. 3. & 4. Non Fundamentalis est, quæ subditis quid inter se agant, determinat: cujusmodi sunt *maximâ ex parte* illæ, quæ in corpore juris Civilis exhibentur, ut, septem ad testamentum testes adhiberi debere; studio autem dicitur *maximâ ex parte*: sunt enim quædam præter has in Corpore Juris Leges ad statum Rei Romanæ spectantes: quorum refer titulos de variis officiis
Magistra-

Magistratum, de judiciis publicis &c. quæ ita se habent, ut etiam statui hodierno nostro applicari possint, licet ad id magnâ cautione opus sit.

LII. Sunt adhuc aliæ divisiones, non quidem essentielles, sed accidentales, quibus Lex dividi potest: nimirum, aliquam esse *universalem*, aliquam *particularem*: Illa est, quæ toti civitati, sive omnibus civibus in Republicâ viventibus datur, v.g. nemini concessum esto, arma hosti vendere: item, licitum non esto, quenquam pecora à militibus surrepta, pretio etiam vilissimò sua facere. Hæc verò, quæ uni aut alteri civitatis parti, vel etiam uni individuopræscribitur. v.g. tales Leges sunt, quæ collegiis, artificibus sive opificibus, à Magistratu dantur: quò referri possunt Leges vestitiaræ, quæ pro civium diverso ordine, diversæ sunt. v.g. quod nemo opificum uti debeat vestimentis sericis, quod eorum mulieres vittis aureis incedere nequeant: Individua, Leges quæ concernunt, possunt haberi illæ, quæ leguntur. 2. Reg. 2. v. 5. & 9. 36. 42. de Joab & Simei.

LIII. Lex præterea, alia *justa sive bona* est, alia *injusta sive mala*: Justa est, per quam justitiæ satis fit, & rectæ rationi conformiter vivitur. Injusta per quam justitia læditur, & vita nostra à rectâ ratione abludit. Verum ingens hîc controversia incidit, num scilicet hæc divisio rectè se habeat, cum Lex injusta, veniunt Lex non sit, secundum multorum opinionem: quam conantur probare sequentibus rationibus. 1. Quia Lex injusta vim cogendi non habet; nam parendi necessitate subditi eâ non adstringuntur, cum plus rectæ, quam corruptæ rationi debeant obedire. Addunt, quod Aristoteles, Leges injustas Reipublicæ corruptæ accommodatas esse doceat. 3. Polit. 7. (aliàs 11.) cum Leges Reipublicæ sint accommodandæ, non Respublica Legibus. Cum jam subditi plus debeant Reip. quam Imperantibus

rantibus, si imperantes injustam sancirent legem, in illo casu vinculum parendi solveretur. 2. quia talis Lex injusta, jus non facit: hoc enim si faceret, injusta non esset. 3. quoniam finis Legis, tali in justâ lege non obtinetur: quomodo enim injustitiam administrare dicitur iudex, qui istam Legem accommodare voluerit. 4. quia ratio est anima Legis, quâ absente, Lex cadaver erit. 5. Lex injusta dicitur talis, vel quod sit contra jus Civile, vel quod sit contra Naturale. Si primura dicatur, absurdum est Legem illam dici injustam, cum jus civile eô ipso, dum contra ipsum aliud jus statuitur, jus esse designat. Si posterius, Lex illa ne Lex quidem dici potest, utpote quod est jus immutabile, nec subiacet potestati Legislatoriæ §. 11. *Instit. de Jur. N. G. & C.* sed potius ipsum supra Legislatorem est. *Vid. Meisner in Dissert. part. 2. c. 1. n. 30.*

LIV. Nos bonitatem de essentiâ Legis esse, nobis non persuademus: nam cuicumq; competit definitio alicuius, illi etiam definitum. Atqui Legi injustæ, competit definitio Legis in genere. Ergo etiam Lex injusta, Lex erit in genere. Definivimus autem *supra* §. 10. Legem hoc modo, Lex est decretum sumæ potestatis, actionibus humanis regulâ, ad certum aliquod ipsas obligantem, præscribens: quæ omnia in Lege injusta locum habere possunt, v. g. sit præscripta lex, ut nemo vendat frumentum, nisi modius veniat. 10. imperialibus: & hoc citra necessitatem, non urgente a nonâ: sanè lex hæc injusta esset; nec tamen nomine Legis defraudari posset. Sic, ponatur Lex, ut creditor conveniat fidejudentem, licet principalis debitor sit solvendo: videtur Lex injusta, cum fidejussor creditori fidem suam obstringat in subsidiû, si scilicet principalis solvendo non fieret: & tamen vera Lex est, cum alicubi contingat, si creditor principalem debitorem compellat, fidejussor eô ipso liberetur obligatione: ex quô apparet etiam talem Legem effectu suo non carere, & per consequens

D

Legem

Legem injustam adhuc Legem esse. Huc referri potest Lex à Nebucadnezare lata, de adoratione Idoli, Daniel. c. 3. v. 4. 5. & 6. Unde statim respondemus, ad rationem primã, quod scilicet falsum sit Legem injustam vim cogendi non habere.

LV. Hoc quidem verum est, Lex taliter injusta, quæ aliquid præciperet contra Legem vel Naturalem, vel Moralem, carere vi obligandi, quia Lex inferioris contra superiorem nunquam valet, cum inferior in superiorem nullam habeat potestatem: deinde, quia Lex inferioris semper accipitur cum exceptione Legis superioris, uti se res etiam habet in juramentis. Lex autem aliqua in se potest esse injusta, ut non impingat statim in Jus Naturale aut Morale, uti ex exemplis allatis patet.

LVI. Ad alteram rationem respondeo, Legem injustam jus nullum facere, negando. Nam Aristoteles expressè docet, Omnem Rempublicam niti aliquò jure; unde aliquod jus est Oligarchicum, aliud Aristocraticum, aliud Democraticum. Jus Aristocraticum strictissimè jus est: Oligarchicum verò quidem etiam jus est aliquod, licet non sit jus absolutè: Ita enim in terminis docet *Aristoteles. 3. Polit. c. 14. (aliàs. 9.)* Quare, inquit, in depravatis quidem rebus publicis propriè quidem hoc esse utile & justum liquet: fortassè verò & hoc liquet, idem non esse absolutè justum.

LVII. III. Quando dicitur, quod tali injustâ Lege finis, scilicet justitia, obtineri nequeat, quia judex applicando talem injustam Legem, justitiam administrare dici non posset. & Sicuti dicitur Prætor jus reddere, etiam cum iniquè decernit *l. XI. ff. de Just. & Jur.* ita quoque Judex administrabit justitiam, dum Legem talem iniquam sive injustam applicat, & secundum illam judicat: qui enim cum Lege errat, non peccat, *caus. 23. can. 40. q. 4.* nec poenam meretur, quod legitimè factum est *l. 4. C. Ad leg. Jul. de Adult.* qui enim
mandato

mandato aliquid facit, habet parere necesse. *l. 34. de R. J. in 6to.* Deinde, finis Legis non solum est administratio iustitiæ, sed etiam executio voluntatis Principis.

LVIII. Ad id verò, quod ratio Legis anima sit, respondemus, ratio illa duplex est, vel enim est recta, & sic Lex quæ tali ratione nititur, non est iniqua aut injusta, sed bona, quæ verò nititur ratione non rectâ, sed solâ voluntate, quæ sæpè pro ratione stat, Lex quidem est, licet non sit bona: non tamen caret ratione, nec proinde Legis cadaver dici potest. *Lex enim est, quia jubetur; quicquid vel essentia habet vel roboris, id omne à solo Majestatis jussu & voluntate sortita est. Negandum igitur est, rationem esse Legis formam, ut rectissime Dn. Conring. docet, disp. de LL. § 3.*

LIX. Ad ultimum, quod Lex injusta dicatur, vel quod sit contra jus Civile, vel contra Naturale. *rx.* Lex, quæ contra jus naturale aliquid præcipit, Lex non est, sive effectu Legis omninò caret, h.e. non obligat nos, h.e. non habet aliquam vim cogendi, ex illâ ratione, quam suprâ adduximus, quod inferior legem superioris neq; tollere, neq; mutare authoritativè possit. Item Lex quæ contra naturam est aut contra Legem divinam, nos non obligat, non quidem non quoad culpam, sed etiam non quoad poenam, si obsequium ei detrectatur: nam ejusmodi obsequii denegatio non est culpa. Et si de facto propter denegatum obsequium ab eo, qui Legem contra naturam dedit, aliquis malè tractatur, poena tamen non est, sed afflictio aliqua, aut persecutio, quam præter meritum quis sustinet, & sustinere malit, quam naturalem aut divinam legem violare. Illa verò Lex quæ est contra jus Civile, si est lata ab eò, qui potestatem Legis ferendi habet, cessat quidem jus civile, nihilominus tamen Lex illa potest esse injusta, non quidem ratione causæ efficientis, benè tamen ratione
D 2 causæ

causæ materialis: v. g. si Lex esset posita, ut si Nobilis aliquem occidisset, quod Nobilis ultra Imperialem thalerum puniri non deberet: si verò plebejus, alium plebejum itidem interficeret, quod tum talis non solum iterum interfici, sed etiam omnia ejus bona fisco cedere, & tota ejus familia in servitutem redigi deberet. Lex quidem esset injusta, ratione materiae, eò quod poena culpam excederet; Lex tamen esset, quod lata esset ab eo, qui potestatem ferendi Legem haberet. *Vid. Arriaga in Doctr. Polit. l. 1. c. 17. Cellar. l. 2. Polit. Succinct. c. 8. n. 26. Vid. Arriaga Tom. 2. in 1. 20. Thoma tract. de Legib. disp. 4. Hornejus in Doctr. Civil. l. 4. cap. 3. pag. 579*

LX. Hæc de Legis definitione & divisionibus hac vice sufficient; Quæ autem restant de Legis materia sive objecto, de ejus virtutibus, quæ l. 7. ff. de Legib. dicuntur esse, Imperare, Vetare, Permittere, Punire: de Obligatione & ejus modò; item de interpretatione: quoniam hic angustia chartæ excludimur, rejiciamus in sequentem. DEO interim T. O. Max. debitas gratias agentes, pro clementi suâ assistentiâ: Cui etiam sit Laus & Gloria in sempiterna secula!



Vis ac utilitas Legum res anteit omnes:
Namq̄ orbe toto cuncta disponunt bene.
Has tunc causas cernis servare bonorum;
Ast improbos duro coercent vinculo.
Quin ergo dignam, puto, rem gerit ille relatus,
Qui docta promit verba sanctis legibus.
Id bene Tu suavis praestas Heuchline, cuiq̄
Calcas Parentis strenue vestigia.
Quum rara Virtute gravis meritisq̄ suorum
Praclarus incedat per ora Civium.
Patris inest Nato virtus: intendit eandem
Famam mereri viribus prompta indolis.
JOVA, precor, faxis, Natum tua gratia stipet,
Ut multa surgant hinc El praconia!

Sic ex animo
Dilectissimo Dn. Cognato suo
gratulatur

Johannes Honorius Meßger/
V. A.

Nunquam recedit patriâ ab Indole,
Nativa Virtus progeniti suâ;
Aut exuunt mores Avorum
Degeneres placidos Nepotes:
Doctrina si vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborat:
Virtus parentumque ad labores
Exstimulat similes subinde.

Talis

Talis ministri fulminis alitis,
Vigor, ferocem patrius excitat
Foetum; perosus ille nidum
Alti volans amat axis auras,
Rapaxque prædam; Sive in ovilia
Demittat ipsum Martius Impetus;
Sive æmulus diri parentis
Terribiles agat in Dracones.
Talisque fulvæ matris ab ubere
Jam lacte pulsus tum Juvenis Leo
Quærit cruento dente prædam
Indomita præeunte matre.
Sic Tu, rejectâ nocte silentii
Obliviosâ nomen in auream
Proferre lucem & semper ultra
Pegaseis volitare pennis.
DILECTE! quæris; Sic patris æmulus
Magni, Themistis præsidis inclyti,
Digesta LEGUM dum revolvis
Eunomiæ deditus sacratæ,
LEGES quid IPSÆ? differis optime.
Non vanus augur certius ominor
TE destinavit numen aptè
Clarificis titulis Honorum.

Hisce exiguis,

Doctif. Dn. Respondenti, Amico atq; Conterraneo
perquam dilecto, & affectus sui sinceritatem
testari, & de optimis profectibus gratulari vo-
luit, debuit, exilis musa

Caroli Raygeri Pos. Hung.


F I N I S.

Alsdorf, Diss., 1656/67

(x 261 3006)

VDM







4150.

DISSERTATIO POLITICA
DE
LEGIBUS

19
15

QUAM
SACROSANCTA TRINITATE AUXILIANTE

1660 3

Sub
PRÆSIDIO
*Viri Clarissimi, Amplissimi, atq̄
Excellentissimi*
DN. M. JOH. PAUL. Felwingers /
IN FLORENTISSIMA NORICORUM ACADEMIA POLIT. METAPH. ET LOG. P. P.
CELEBERRIMI.

*Domini Patroni ac Præceptoris sui atatem
colendi*

publici exercitii gratiâ defendere
conabitur

ad d. Septembr.

ANNO CHRISTI M DC LX.

CHRISTIANUS HEUCHELIN. Pofon.



ALTDORFFI

Typis GEORGI HAGEN Universitatis
Typographi.

